QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXV. IANVARII,

M. IOANNE BOVRGEOIS, Doctore Medico, Moderatore.

809.

Eſt-ne Anima ſedendo Prudentior?

ANIMA rationalis, princeps hominis pars & formarum omnium ſuprema, habet ſola quòd cælo imputet quamplurima. Nec enim è ſinu materiæ, vt reliquæ omnes, educitur; nec, vt vegetabilium & animalium cæterorum traduces animæ, vnà cum ſemine, à teſtibus tantùm deciduo, effunditur; proprij domicilij architecta mox futura: ſed in ipſo in humanum embryonem, diſtinctis ſimul partibus, ante efformato, incerto tamen tempore, citra vllam extrinſecùs infuſionem creata, ſolum Deum (cuius imago eſt) ſui opificem & ἀρχέτυπον agnoſcit. Ac licet ſuo corpori eiuſque ſingulis vel minimis particulis tota ſit immerſa, imparíque iuncta connubio; ſpiritalis, immortalis, æterna, ἀναλλοίωτος; corporeo, fluxili, caduco, morbis innumeris atque vni tandem morti obnoxio: ſuos tamen compedes ita deperit; vt, velut neſcia ſortis ſuæ & oblita immortalitatis, eius imbecillitatis conſors eſſe amet; ſibíque potiùs quàm perfido, adultero & nouitatis auido malit deeſſe coniugi.

PAREM reperias in Therſite & Socrate, viro & muliere, ſene & iuuene: tametſi vnam & ſimplicem in ſingulis; functionum tamen, quarum omnium auctor eſt atque principium, ſtupendâ varietate multiplicem: quibus obeundis, quandiu in tenebroſo ſuo ſpecu latet ſolâ mente ſpectabilis, diuerſis partibus, vt ſubiecto; ſpiritibus, calore natiuo, humidóque radicali, vt medijs; facultatibus varijs, vt proximis & immediatis inſtrumentis, nobiliſſima hæc corporis humani organici ἐντελέχεια vtitur. Sua cuíque parti eſt naturalis & propria temperies, ſuáque conformatio, functioni cui deſtinatur obeundæ idonea. Temperies vbique ad iuſtitiam; nullibi ad pondus niſi ſoli cuti ineſt. Spiritus alij inſiti ſunt, animati; alij influentes, inanimi; qui duplicis tantùm ſunt generis, vitales & animales, fruſtrà in alias ſpecies diſtincti: naturales præter genitorem nulli. Calor natiuus eiuſdem cum cœleſti & elementari prorſus naturæ eſt; an etiam cum febrili? vt & hi omnes inter ſe. Humidum primigenium pingue, oleoſum, qualitate aliquando meliori; copiâ verò maiori ſæpiùs reparabile. Facultates omnes ab animâ fluunt; licet ab eadem inſeparabiles: cum ſpiritibus in partes non influunt: omnino diuerſæ à temperamento: pro functionum numero metiendæ; dignitate, æſtimandæ.

ACTIONVM aliæ ſunt naturales, aliæ vitales, aliæ deniq; animales. Quæ alendo corpori deſtinatæ ſunt, quemadmodũ & vitales, eas anima, quandiu vita ſtat, primus eius actus, indeſinenter è ſuo penu promit: illas quidem in toto corpore; has in corde tantùm: partim ἀλλοιώσει, partim naturali & irrequieto motu. Animales omnes, vel in ſolo cerebro parturit; nempe eas quæ vulgò principes nuncupantur; alibi non conſpicuas: vel ab eodem elicit, táquam è perenni fonte, ſenſus licet omnis & motus experte, ſenſitiuas & motiuas; miſſis ab eo per neruos, eius propagines, in αἰσθητήρια & κινητικὰ organa ſpiritibus: nuſquam ſimul omnes; rarò multas; neq; iugiter ſingulas. Quò pluribus operibus vacat, eò minùs intenta ſingulis; magis, quò paucioribus: & quò vni diutiùs, eò tandem remiſſiùs operatur, ni interquieſcat. Hinc ſurdis, videndi; cœcis, audiendi; vtriſque reminiſcendi vis fortior. Raram fœlicitas ingenij & robur corporis mixturam faciunt. Vtque ἀμόλυντος οὖσα τοῦ σώματος, ſuíſque vinculis expedita, citra vllum corporei inſtrumenti vſum longè perfectiùs; ita ſuo carcere detenta, quò ad illum libertatis ſtatum accedit propriùs, eò præſtantiùs ſuas, ſibíque ſoli proprias functiones ἡγεμονικὰς exerit, locis in cerebro minimè diſcluſas.

NVSQVAM, mihi crede, faciliùs meliúſque diuina illa anima, quintuplici τῆς διανοίας ἀρετῇ habitúque uſa, rerum veritatem contemplatur, aſſequitur, enunciat, dum περὶ τὸ ποιητικὸν aut ἀποδεικτικὸν, quæ artis & ſcientiæ; aut dum circa principia, cauſaſque rerum omnium altiſſimas, quæ ſunt intelligentiæ ſcientiæque opera & obiecta, occupatur: quàm cum brutis ſoluta functionibus, velut è tempeſtatibus ſubducta, in quietis portum ſe recipit, tota ſibi ipſi reſtituta. Ac ne ipſa quidem virtutum regina, morum mater, & magiſtra vitæ Prudentia, valet ea quæ homini ad bene viuendum bona vel mala ſunt, verè & cum ratione diſcernere, prouidere, conſulere; niſi corpus eidem morem geſſerit, & ſedendo, hoc eſt, à quolibet προαιρετῷ motu quieſcendo, quietam menti regiam effecerit: quæ quantùm quieſcit, tantò prudentior & conſultior homo fit. Enimuero quæ per ſomnum leuiorem, eadem propè homini per quietem, decubitum & ſeſſionem accidunt. Illic tam interioris quàm exterioris ſenſus; hîc in vtróque organo, interno, externo, motus ceſſatio. Vtrobíque in ſe collectus animus ſui tantùm rationem habet, mouetur intra ſe, cogitat, cognoſcit, videt, audit, tangit, vadit, mœret.

DVM verò corpus vigilat, calor & ſpiritus ἐνορμῶντες, antea quieti ſolíque menti deſeruientes, partim in ſenſuum & motus organa, partim in totam corporis molem violenter moti, ſuâ, ſali aut fluminis vndecumque ventis agitati fluctuationi omnino ſimili, concitatione, in ſacrâ arce Palladis tumultum excitant, nunc minorem, aliquando tantum vt etiam concuſſa mens conſtare ſibi neſciat; quemadmodum in vertiginoſis, amentibus, ebrijs, pueris, phreniticis: quo ſedato, temporis progreſſu, aut ætatis curriculo, aut remiſſo incendio, prudentiores euadunt. Hinc bilioſorum & adoleſcentum celeres animos, audaces, feroces, indomitos, inconſultos, ſanguinis & ſpirituum feruidiorum impetus ad incauta ſæpe trahit præcipites: at contra melancholicis, diuinioribus, & ad muſas, quæ ſeceſſum quærunt & otia, magis idoneis; ſenioribuſque, quoniam tranquillos cùm animi tùm corporis motus habent, per præteriti tẽporis recordationem, futuri coniiciendi maior ineſt ſagacitas, & vis admiranda conſilij. Et vt olim non alii quàm quibus corpus annis infirmum erat, ingenium ſapientiâ validum, delecti rebus publicis, qui ſedendo conſultabant: ita neque nunc prudentes Oeconomi, Politici, Legiſlatores, Iudices, Senatus Principes, Medicinæ Iuriſque conſulti, aliter quàm ſedendo de hominum famâ, vitâ & fortunis ſententiam ferunt.

Eſt ergo Anima ſedendo Prudentior.

Proponebat Lutetiæ NICOLAVS CAPPON, Pariſinus. A. R. S. H. M.DC. XXXV. 256.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Guillelmus du Pré.	*M. Carolus Guillem...* Reg. Chriſt. M. Ord. & Schol. Dec.	*M. Michael Toutain*
M. Philbertus Moriſſet.	*M. Iacobus Iouſ...*	*M. Simon le Tellier M. R.*
M. Iacobus Cornuty.	*M. Petrus Sauarr...*	*M. Simon Bazin.*